

§ XV. Plures autem Philosophi, post Erasum, damnant quidem hæresim Anabaptistarum, sed melius existimant in proveciore ætate, quam in infantia Baptismum suscipere; iniquum enim, inquit, videtur, insciis parvulis, & ratione destitutis, jugam durissimum, (suavissimum dicere debuissent) Christianæ Religionis imponere, in quo apparet, ut verbis utamur *Venerabilis Bellarmini*, in quo apparet maxima Satanae rabies, qui non contentus perdidisse innumerabiles animas adultorum, voluit per Anabaptistas, & vellet nunc per Philosophos Christianæ Religionis ofores, animas perdere parvulorum.

PROPOSITIO TERTIA.

*Pædobaptismum, nec verbo Dei, nec Traditioni Ecclesie, nec Patrum auctoritati contrarium esse comprobamus.*

§ XVI. Probatur prima pars. *Matth.* 18. legimus: *Sinite parvulos venire ad me, & nolite prohibere eos, talium est enim Regnum Cælorum.* Idem habetur *Luce* 18. Infantes igitur, ex Servatoris nostri sententia, percipiendo Regno Dei idonei sunt; & hæc propositio de fide est. Nemo autem aptus est Regno Dei, nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto. *Jo.* 3. hæc etiam propositio de fide est; dogma igitur fidei est, quod infantes capaces sint, ut Baptismi Sacramentum recipiant; pædobaptismus igitur contrarius non est verbo Dei. Jam autem Apostolorum tempore ab Apostolis infantes baptizatos fuisse, non obscure ex Scripturis colligimus; nam *Act.* 16. n. 15. dicitur baptizata Lydia, & domus ejus: ibidem dicitur baptizatus Custos carceris, & omnis domus ejus continuo; & *1. ad Cor.* c. 1. testatur Apostolus, se baptizasse Stephanæ domum; sed intra tot familias incredibile sane videtur, nullum fuisse infantem; non obscure igitur ex Scripturis colligimus, Apostolos etiam parvulos baptizasse.

§ XVII. Probatur secunda pars. Tempore S. Cypriani, tertio nimirum Ecclesie sæculo, in Ecclesiis vigeat Baptismus parvulorum, nec novam, sed perantiquam consuetudinem